Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ahiel

limen unum calamo uno latitudine et uno calamo in longitudine et uno calamo in latum et inter calamos quinque cubitos. Et limen porte iuxta uestibulum porte intrinsecus calamo uno. Et mensus est uestibulum porte octo cubitorum et frontem eius duobus cubitis. Vestibulum autem porte erat introrsum. Porro thalami porte ad uiam orientalem tres hinc et tres inde mensura una trium et mensura una fenestrarum utrique parte. Et mensus est latitudinem limnus porte decem cubitorum et longitudinem porte tredecim cubitorum et marginem ante thalamos unus cubiti. Et cubitus unus finis utrique thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum eius latitudinem viginti quinque cubitorum ostium contra ostium et fecit frontes per xl cubitos et a fronte atrium porte undique per circuitum et ante faciem porte que pertinebat usque ad faciem uestibuli porte interioris l cubitos et fenestras obliquas in thalamis et in frontibus eorum que erant intra portam undique per circuitum. Similiter autem erant et in uestibulis fenestre per circuitum intrinsecus et ante frontes pictura palmarum celata. Et eduxit me ad atrium exterius et ecce gazophylacia et pauimentum stratum lapide lato per circuitum triginta gazophylacia in circuitu pauimenti. Et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erant inferius. Et mensus latitudinem aliae porte inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos ad orientem et ad aquilonem. Porta quoque que respiciebat in aquilonem atrii exterioris mensus est tam in thalamos in longitudinem quam in latitudinem. Et thalami eius tres hinc et tres inde et frontes eius et uestibulum eius secundum mensuram porte prioris. l cubitorum longitudinem eius et latitudinem eius. triginta cubitorum fenestre autem eius et uestibulum et sculpture secundum mensuram porte que respiciebat ad orientem et septem graduum erat ascensus eius et uestibulum ante eam. Et porta atrii interioris contra portam aquilonis et orientalem et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. Et eduxit me ad uiam australem et ecce porta que respiciebat ad austrum et mensus est frontem eius et uestibulum eius iuxta mensuras superiores et fenestras eius et uestibula circuitu sicut fenestras ceteras l cubitorum longitudinem et latitudinem xxv cubitorum et in gradibus vii ascendebatur ad eam et uestibulum ante fores eius. Et celate palme erant una hinc et altera inde in fronte eius et porta atrii interioris iuxta australem et mensus est a porta usque ad portam iuxta australem centum cubitos. Et introduxit me in atrium

104

ozechiel